

Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS.

DE

IMMOBILITATE
TERRÆ.

Quam

Affulgente Divina Gratia & Consensu

Nobilis. & Amplissimi Ordinis Philosophorum,

Sub moderamine

VIRI

Nobilis. Amplis. & Excellentissimi

DN. M. BALTHASARIS
MENTZERI,

Prof. Mathem. Publ. longè celeberrimi, Amplis.
Facultatis Phil. Decani, h. t. Spectatissimi.

*Dn. Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui omni observantia
& honoris cultu prosequendi*

Pro

Gradu MAGISTERIALI ritè consequendo

Publica & Placida Eruditorum disquisitioni

submitte

HIERONYMUS DATHE, Hamb.

A. & R.

VIII. Kal. Junii clō lōc XXCIX.




GIESSÆ HASSORUM,

Literis HENNINGI MÜLLERI,



DISPUTATIO IN PUBLICA
IMMOBILITATE
TERRARUM
Abgeordnet von
Herrn Dr. Martin
Haller
VON
DR. M. HALLER
Halle
Hieronymus
Halle





Vir Clarissime,

Amice è paucis Suavisime!

DUm Terræ motum, multorum in animis, commotiones non unas, concitantem, vel dubium facere, vel plane destruere, meditaris, quid aliud agis, quàm, ut materiam, odio & rixis plenissimam, tractes, & crucem Mathematicorum humeris imponas Tuis, id quod tamen ἀπερισπέντως à Te coeptum, nemo profitebitur, siquidem eruditionis, in hoc studio, Tuæ singularis, vel mediocriter saltem gnarus fuerit; Ab eo quippe tempore, cum pedem extra Patriam posuisti, nihil curæ magis cordique Tibi fuit, quàm ut animum uberius sapientiæ culturâ, atque iis, quæ neglecta à multis hætenus sunt, firmares, quibus feliciter præstitis, altiora meditaris haut immerito, Terram relinquis, atque Philosophorum castra egrediendo, Cœlum contemplari, & in eo, quæ in foro Theologico amplissimo, inprimis ad Ecclesiæ commodum & ædificationem faciunt, utpote, cujus ministerio omnia Tua consecrata vis, penetrare vehementer aves, id quod Deo feliciter assistente, impetrare Te posse, & diligentia, & pietas & sinceritas Tua, me Tecum sperare jubet: Quare etiam gratulari Tibi summo me jure posse atque debere judico, comprecando simul ampliores subinde, ex intimis


A

COR-

cordis mei penetralibus, progressus felicissimos & exoptatissimos; Gratulandum etiam est honoratissimis, & integerrimo amore in Te propensis, Parentibus Tuis, qui sumtuum haecenus bene collocatorum, in studia imprimis Academica, & quæ his annexa sunt, luculentum, hoc publico specimine, argumentum, Te exhibere, experiuntur, habeant Illi, de quo vere gaudeant, cum vitam Tuam & mores ita formaveris; ut omnibus Eruditis & Bonis, (quibuscum conversari integrum Tibi fuit, & quoties his suadentibus, vel in cathedra publica Disputationem strenue defendendo, vel è Suggestu verba ad Populum intrepide faciendo,) egregie Te commendaris. Quare amore haecenus Te prosecutus, Præsidium hoc Tibi denegare, petenti, non potui, quin potius existimarem, ad multa præterea amoris, erga Te Tuosque officia, non unis de causis, obligatum me esse. Addat annis Tuis annos perennantes Altissimus, sanitatemque & corporis vires, ausis Tuis debitas, largiatur Deus noster, ita nullum erit dubium, quin felicius ea, quæ in votis olim habuisti, obtineas, quod, ut Tuo Tuorumque insigni commodo fiat, toto corde iterum apprecatur Disputationis hujus

Præses.

THE-



I. N. J. A.

THESIS I.



Uo in Systemate Mundi summa dari genera, vel iis notum est, qui Matthesin à limite saltem salutarunt, quorum alterum circa Terram constituitur, in Centro universi immobilem, alterum vero circa Solem, in Universi Centro mobilem; Prius *Pythagoricum* ab Authore suo *Pythagora*, qui se Philosophum quam Sophum appellari maluit, dictum, à *Platone* postea ejusque asseclis receptum, quibus fato defunctis, à *Ptolemaeo*, qui *Plinio* senescente floruit, ceu novum aliquod inventum, cum antiquissimum fuerat, reassumptum est, unde *Ptolemaicum* audit, Ipsa verò ejusdem Hypothesis, quam in libro *μεγάλης συντάξεως*, seculo à nativitate Christi secundo, Alexandriae proposuit, breviter ita describitur: Terram assumit loco Centri, è quo orbis describit planetarum septem concentricos, primum quidem & Terræ proximum *Lunæ*, secundum, *Mercurii*, tertium *Veneris*, quartum, *Solis*, quintum, *Martis*, sextum *Jovis*, & septimum, *Saturni*. Octavum denique *Stellarum fixarum orbem*, & nonum *ἀναστροφῶν* constituit; Alterum caput *Philolai* & *Aristarchi* de Terræ circa Solem annuo motu *Nicolaus Copernicus Thorunensis Borussus*, Vir Generosissimus *Tychonis Brahe* elogio, incomparabilis interpolavit, atque illud multis verisimilibus ornavit argumentis, quod propterea *Systema Copernicorum* dicitur. Ordo in eo planetarum est sequens: primo loco *Sol*, isque immobilis & universi & Terræ, hæc verò *Lunæ* centrum est, proxime circa Solem *Mercurius* constituitur, deinde *Venus*, postea *Terra* cum elementari regione sequitur, in aëre planetarum ad instar, per orbem suum & diurno & annuo motu mobilis; Centro *Solis* reliquarum Planetarum *Martis* scil. *Jovis* & *Saturni*, ut & *Fixarum Sphæræ* descriptæ sunt. Quæ sententia, cum & *Astronomiæ* & *Geographiæ* fundamenta quasi convellere, atque *Scripturæ Sacræ* magis, quam rationi contrariari videtur, brevibus pro ratione instituti

Duo Mundi Systemata,

Syst. Ptoi.

Syst. Copern.



Academici exercitii hic proponere nostramque de ea σύγκριση subnectere placet. Quod ut feliciter fiat, & Jehova nobis adesse velit, suppliciter contendimus.

T H. II.

Autores qui Copern. refutarunt.

Copernicorum itaque argumenta, motum Terræ annum, circa Solē in universi Centro immobilem astruentia, refutaturi, non in immeritam labividemur suspensionem velle nos actum agere; Quid quod multi hactenus Reges, Principes, Nobiles, aliique Viri Excellentissimi partim propriis observationibus, partim vero variis aliorum rationibus, atque in primis Sacrarum literarum ductu moti sufficientissimè id præstiterint, ut sunt: *Ruvius Philathaus Conimbricensis*, *Theon Alexandrinus*, *Regiomontanus*, *Alfroganus*, *Macrobius*, *Cleomedes*, *Buchanbanus*, *Maurolicus*, *Barocius*, *Neander*, *Martinengus*, *Tycho Brahe*, *Inchofer*, *Lagalla*, *Rocco*, *Polacicus*, *Kircherus*, *Spinellus*, *Mastrius*, *Pineda*, *Amicus*, *Tannerus*, *Claramontius*, imprimis autem successu haut infelici ea destruere conati sunt *Joh. Antonius Delphicus*, in Tractatu suo de globis cœlestibus, cap. 18. *Johannes Elephantutius* in universi Orbis structura, *Andreas Taquer* in oper. Math. lib. Astron. VIII. p. 326 & seqq. *Ricciol.* in Almagesto Novo Tom. I. Part. Post. Sect. 4. *Ptolemaus* lib. 1. Almagest. cap. 5. & 7. *Schottus* in cursu Math. Lib. VII. Astron. Element. c. 2. & 3. Inter quos etiam summo cum jure est collocandus, Vir, dum viveret & hac & Theologica scientia incomparabilis, Adm. Rev. B. Dn. D. Christiani Prof. quondam in hac Alma Ludov. & Matth. & Theol. celeberrimus, Præceptor noster & pietate & sinceritate nulli postponendus in Syst. Geogr. cap. VIII. p. 121.

T H. III.

Autores qui Ptolemæi sententiam improbarunt.

Copernicæ vero sententiæ plurimi quoque subscripserunt, quorum primus fuit Copernici discipulus, *Georgius Joachimus Rhenicus*. Hunc secuti sunt plures alii Reformati & Mathematicum DD. Recentiores, *Keplerus* Mathematicus insignis & sententiæ hujus defensor acerrimus, *Guilielmus Gilbertus*, *Nicetas Syracusanus*, *Heraclides Ponticus*, qui Athenis vixit, & Aristotelem audivit docentem, *Philolatus Crotoniates* Mathematicus non vulgaris, à quo Plato Pythagoræ opera emere, ejusque visendi gratiâ Italiam petere haut gravatus est, *Herigonius*, *Petrus Gassendus*, qui tamen (ut verba supra laudati Riccioli habent) in calce secundæ suæ Epistolæ, decretis Ecclesiasticis captivum intellectum subjecit. *Renatus Cartes*, *Lansbergius*, *Bullia*.

Bulialdes & alii. Quorum nonnulli motum Terræ Vertiginis, alii diurnum & annum, alii triplicem, quadruplicem alii statuunt; Pauciores tamen cum *Philolao & Aristarcho* annuam illam circumvolutionem circa solem immobilem, quæ 365. diebus & 6. horis absolvitur Terræ attribuunt duo τῶν φαινομένων seu apparentiarum genera simul statuentes.

TH. IV.

Defensor Copernici, ejusque opinionis strenuus *Galilæus Galilei* quoque fuit Magni Ducis Hetruriæ Philosophus Primarius, Academiae Pisanae Profess. Mathem. Celeberrimus, quam ad annum usque ætatis suæ 70. auditoribus suis inculcavit; Tandem vero jam unum pedem in cymba Charontis habens ceu Vanam & paralogismis multis scatentem disciplinam prorsus ex professo refutavit & abjuravit: Cujus juramenti ex Italico in Latinū idioma feliciter translati momenta, in respicientiam Copernicorum „eo faciliore obtinendam, subjungere hic placet: Ego Galilæus, Filius Vincentii Galilæi, anno ætatis meæ 70. personaliter in judicio cōstitutus flevisq; genibus, corā Vobis Eminentissimis & Reverendissimis „Dnis Cardinalibus &c. habens præ oculis meis Sacrosancta Evangelia, quæ propriis manib⁹ tango. Juro, quia post hujus Sancti officii præceptum mihi juridice significatum, quod omnino deberem „deserere falsam opinionem, quod Sol sit mundi centrum ac Terra „moveatur: --- Nec possem tenere, nec defendere, nec docere „quovis modo, neque verbis, neque scriptis falsam doctrinam supra „dictam; & postquam mihi significatum est, doctrinam ipsam esse „sacræ Scripturæ contrariam. --- Juro, quod imposterum nunquam dicam vel asseram, ex quo de me possit haberi suspicio. --- „Juro insuper ac promitto adimplere & exactè observare pœnitentias omnes, quæ ab hoc sancto officio mihi impostæ sunt, aut imponētur --- sic Deus me adjuvet, & hæc sunt Evangelia sancta, quæ „manibus tango. Ego *Galilæus Galilei* supra dictus abjuravi, promisi & me obligavi ut supra --- In veritatis fidem propria manu „subscripsi hanc schedulam meæ abjuracionis, eamque recitavi Romæ de verbo ad verbum in Conventu Minervæ hodie 22. Junii „1633. --- *Ego Galilæus Galilei &c.*

Galilæus Galilæi inconstans.

Juramentum Galilæi.

TH. V.

Inconveniens quoque haut erit, si *Johannem Baptistam Morinum* Mathematicum Parisiensem Regium, Copernico minime secundum, *Tychonem Brake* pro telluris quiete, in Theatrum eruditorum

Morinus quietis terræ defensor.

A 3

rum

rum producentem audiamus, qui in opusculi sui à fronte, ita factur: Ex inferis quispiam veterem *Philolaum* nuper eduxit, Telluris motus de monstrationem Geometricam pollicentem, unde conijcere licet, vel meam, problematis illius solutionem ad Plutonis regna non pervenisse, vel horum incolas tenebris æternis obvolutos, luminis naturalis non amplius esse capaces; *Philolai* autem sententia à prælaudato *D. Morino* facili negotio everta, ita habet: Certissimum esse fundamentum atq; firmissimum, quod amplitudines sphaerarum, & à medio, (hoc est à Mundicentro) mensurentur velocitate & tarditate motus, & contra, Nam ait: Sicut magnum intervallum pertransiri nequit tam brevi tempore, quam minus, sic nec amplissima sphaera, nisi longiori tempore. Quam sententiam ex duplici *Morini* fundamento refutavit, ipsumque tenui ligavit funiculo, de quo ipse consuli potest pag. 2. Cap. I. opuscul. antea citat: Neque à telis *Lausbergii* postmodum hic quietis terræ defensor tutus esse potuit; protulit nempe is, rebus omnibus desperatis, ex Alchymistarum voto, Terram quandam chymicam in ovo Philosophico, hermetice clausam, ab ortu in occasum revolvi; cui, ut & aliis ejusdem sententiæ fautoribus ita respondit: Copernicorum cerebrum motu diurno, annuoque circumvolvi, indeque delusam eorum imaginationem Terram in orbe magno similiter revolvere, profecto non aliter mobilem. Hanc sententiam, pro Terra quiescente tueri quoque videtur *Dr. Joh. Joach. Becher*, dum in scripto suo, cui titulum insipidæ sapientiæ fecit, ita ludit:

Die Welt still steh't / und nicht umbgeh't / wie die Gelehrten
meinen

Ein jeder ist seines Wurms vergewist / Copernicus des seinen.
THESIS VI.

His itaque summis summorum virorum testimoniis, ad majorem sententiæ nostræ conciliandam fidem, in transitu quasi adductis, progredimur nunc ad ipsa argumenta *Copernica* & eorum accuratorem considerationem. Est autem eorum non exiguus numerus, quorum è numero palmarium saltem, & quod vocant, Achilleum, à fronte quoque exinde collocatum penitus considerabimus, quo everso, omne etiam, quod superstruitur, corruere necessum est. Conantur quidem *Copernici* hoc ipso argu-
mento

mento infinitam prope firmamenti molem atque incredibilem fere motus stellarum fixarum velocitatem eludere, sed frustra: Est autem in formatale: *Illi potius tribuendus est motus diurnus, cujus velocitas subjecto mobili magis proportionata, & propterea magis credibilis est, Atqui Velocitas motus diurni ipsius Terræ moli magis proportionata & propterea magis credibilis est.* E. Major per se patet, constat enim, Deum & naturam id facere, quod facilius est secundum se & magis intelligibile atque credibile à creatura intellectuali; Minor probatur ex eo, quod velocitas Terræ minor evadit plurimis vicibus, quam velocitas fixarum & congruentior est modulo subjecti seu moli terræ, quam sit velocitas fixarum, immensitati sphaeræ. Sed Respondemus cum *Ricciolo, Tacqueto, Schulthesio*, aliisque Recentioribus Ptolemalicis. Negando 1. Majorem. Non enim Deus & natura faciunt facilius, quod nobis credibilis est. Negamus etiam Minorem quoad utramque partem, ad (1) non enim sequitur, credibiliorem esse velocitatem ex eo, quod minor sit, vel incredibiliorem quod major sit, nisi excessus hujus supra illam sit contra sensum, aut plane improportionatus capacitati ipsius subjecti & virtuti motivæ, & defectus minoris conformis sit sensui. Sic motus fixarum sensui evidens satis est, earumque velocitas ad sensum perexigua, cum uno horæ minuto vix videantur moveri; Telluris vero motus ad sensum plane nullus est, quare in ipsius motu velocitas minor esse dicitur, cum tarditas potius sit, imo nullus plane motus, si quidem evidentia Physicæ stare velimus, quam non nisi à sensu habemus, itaque omnis Terræ velocitas sensui contraria maxime est. Ad (2) Resp. quoque negando, Quia comparatio motus non ejusdem generis vel speciei est exempl. gr. in motu diurno, quantum enim in illo semidiameter cujusvis sphaeræ cre-
cit, tantum & circumferentia, quæ spatium est, motu diurno, pertransibilis; Quemadmodum enim velocitas partium superficiei Terrestris non incongrua est illi partium velocitati, quæ unico à centro Terræ passu distant, ita quoque incongrua non est velocitas partium sphaeræ fixarum, etiamsi vicibus multis millibus major sit velocitati partiū superficiei Terrestris; exemplo totam rem declarabimus: si Gigantis cujuspiam passus unus cum passu unius formicæ comparatur, quorum quilibet subjecti sui cruribus proportionalis est, ut ut
unico

Argumen-
tum Co-
pornico-
rum prima-
rium.

Responso
ad Ang.

1.

2.

Exemplum

unico gigantis passu vel mille formicæ passus contineantur, tum ob hunc numerum quidem passus ille, qui gigantis unicus est, multiplicat passuum formicæ nimis velox videbitur, non vero incongrua est, ita quoque velocitas fixarum nullo modo incongrua dici potest.

TH. VII.

Argum.
Copern. ex
priori flu-
ens alterum

Alterum quod ex hoc fluere dicunt, argumentum tale est: *Illi potius sphaera tribuendus est motus diurnus, quæ omnium minima, quam illi, quæ omnium maxima est, Atqui Telluris sphaera omnium Mundi sphaerarum minima est, E. motus diurnus sphaera potius Terræ, quam fixarum tribuendus est.* Minorem indubiam esse dicunt, Majorem autem inductione à motibus sphaerarum probare volunt, dicentes: Quo major est quæque sphaera sive Planetarum, sive satellitum Jovis, eo tardior seu longioris temporis est ipsius motus, & quo minor sphaera, eo velocior est seu brevioris temporis motus.

Respons. ad
argum.

Verum Respond. 1. Dist. inter motum communem & proprium; si sermo est de motu proprio Planetarum ac satellitum Jovis Orientem versus, ubi fixarum sphaera dicitur pigerrima, (quippe quæ revolutionem suam naturaliter versus Orientem complere nequit, nisi 26000. fere annis) priorem probationis partem in tantum damus, neque enim inductio concedenda est, nisi de motibus cœlestibus sensui manifestis, facta comparatione inter sphaeras mundi, de quibus constat, eas apparenter moveri; non autem de sphaera elementorum, nedum Terrestri, cum earum immobilitas, quam motus sensui conformior sit. Si vero de modo apparenti in prima probationis parte sit sermo, eam negamus, quo enim sphaera vel stella altior est, quæ motu hoc communi versus Occidentem movetur, eo celerior est revolutio diurna, & quo minor vel humilior, eo tardior, quod tamen intellectum volumus de iis sphaeris, quorum motus apparet & sensui manifestus est. Enimvero si rationem inire

Ratio mili-
tat pro Co-
pern.

quis velit atque supponere cœlum moveri, stellam fixam unius horæ spatio 15. gradus absolvere, & semidiametrum Terræ (quæ 859 $\frac{1}{17}$, qui vel numerus rotundior est, 860. milliar. germ. continet) pro uno gradu continere 15. mill. germ. haut facile experietur, quid 19000. semidiametri Terræ pro uno in eadem gradu daturæ sint? Producentur milliar. germ. 285000. quibus per 15. gradus (quos

(quos Stella in una hora conficit) multiplicatis, milliaria erunt 4275000. quod iter mortalium in tera nemo, singulis licet diebus 20. mill. conficiat 500. annorum spatio absolveret. Si Cardano autem fides est habenda, quando lib. 5. de proportionibus propos. 58. & seqq. dicit, stellam fixam uno arteriæ humanæ ictu, 768. milliaria Germania percurrere, sequeretur, ejuscemodi stellam spatio unius horæ, (quo tempore arteria hominis naturæ temperatæ quater mille fermè vicibus pulsare dicitur) 3040000. absolvere, motu suo milliaria germanica, quod an de cœlesti corpore naturali hoc credendum (Mœstlini verba sunt) & non pro absurdo & simpliciter impossibili acceptandum sit, quivis, si modo aliquo rationis usu fruetur, dijudicabit. Verum enim vero paucis cum Kirchero & aliis respondemus, Deum eo ipso ab hac velocitate se voluisse commendari, id quod multi cum Copernicis credere nequeunt, motum stellis fixis contra evidentiam sensus perpetuo negantes, atque sensum sacrarum literarum, ad tropicum vel plane alienum sine necessitate trahentes, de quo pluribus infra,

Cardani
sententia d
velocitate.

Respons.

TH. VIII.

Si vero Tellus diurno moveretur motu, tum partes ipsius æquatoris in una hora 240. mill. germ. secundum Keplerum conficiant, sed quia centrum ejus, unâ unius anni hora 740. mill. germ. motu suo absolvit, fiunt per additionem 980. aut mille ferè milliaria germ. Per tot ergo milliaria hæc vel illa urbs sub æquatore sita ex gr. Manoa in America Meridionali &c. velocissimo & ferè incomprehensibili cieretur motu, id quod omnem profecto fidem excedit. Si ex Lansbergii, Terræ revolutionem quoque statuentis, punctum quodvis Terre in Æquatore, uno minuto secundo horæ decimam sextam partem unius milliariis absolvit, eo quod convenientem habeat proportionem cum motibus, quos in natura experiemur, etiam globus bombardæ tantillo temporis spatio decimam sextam milliariis germ. partem transibit, sed dimidium milliare germ. ejuscemodi globum uno horæ minuto antequam in Terram impingat percurrere, expertus non unis vicibus est PHILIPPUS Hassiæ Landgravius, pientissimæ memoriæ, inter Mathematicos facile Princeps. Si Terra movetur, tum pondera ex alto perpendiculariter demissa in eum non incident locum in quem directa fuere, pila ex

Quæ ex
Telluris
motu se-
quuntur,

1.

2.

3.

B

ustatorio



4. uffatorio emissa in idem punctum non recidet, è quo emissa fuit (ut ut mortarium illud æqualiter & directissimè formatum & dispositum fuerit (alias, illud declinare, uti ex Mechanicis constat, mirum non est.) Si Terra circulariter moveretur, spatium interea Terræ subduceretur, & in alium locum omnia ejuscemodi gravia recident: Distinguunt quidem Copernici, 1. inter motum particularem & universalem, particularem dicendo motum cujuscunque ponderis ab universali impediri non posse, 2. inter motum naturalem & violentum, negando potius tantæ efficaciam esse motum naturalem, ut terrestribus violenti quid inferre possit. In gratiam exempli hominem adducunt, ex inferiori navis in altum subsilientem, quod pari is distantia à puncto recedat, à quo navi quietæ recessisset, licet navis in saliendo aliquot progressa passus fuerit; eodem modo dicunt, quorsum etiam ille excutiatur, suo æquali ferri motu, sive terra moveatur, sive non.

TH. IX.

5.
De aëre
circa Terram.

Responf.

6.

Ad stabiliendam porro sententiam suam his superaddunt, aërem Terræ propinquum, aqueæque materia permixtum, Terræ sequi naturam etiam motum, per contiguitatem ejus ab ipsa ex perpetuâ revolutione acquisitum, fundamento Copernicæ assertionis nixi, quod est: Non solum terram cum aqueo elemento sibi conjuncto sic moveri, sed non modicam quoque partem aëris, & quæcunque alia, quæ eodem modo Terræ habent cognationem, vid. Copern. 1. Revolut. lib. cap. 8. p. 14. seq. Constat alias, duabus Veteres partibus globum constare, dixisse: Terra scil. & Aqua, unde Terraqueus audit, Verum Copernicus tertiam addit partem, aërem scil. ideo, ut Terra istius globi velut nucleus sit: Hic motus à Copernico ingeniose magis quam solidè excogitatus, à Ptolemæo aliisque pluribus everfus & refutatus est: Nos *Responfionis* loco nil addimus præter hoc, quod Ventos experiamur sæpius ab Ortum in Occasum ita flare, ut concessio Terræ ab Occasu in Ortum motu maximas imo horrendas tempestates eos inducere oporteat. Si Terra 24. horarum spatium circa axem suum semel moveretur, citius ille motus absolveretur, vehementissimo equi Anglicani, vel alius celerrimi cursu, baculo violenter impulso, globo tormentario maxima pulveris quantitate ac vi ex duplicis cartæ orificio, ejaculato, qui cursus equi violentus multis

multis videretur vicibus ex compressione aëris subinde cessantem respirationem impedire, baculus vel globus fortissimo impulsu per aërem protrusus; ita etiam homines in Terræ superficie orthogonaliter stantes, aut recto tramite incedentes, scopuli magni à superficie ejus protuberantes, arbores in sublime ascendentes, Petræ ad maximæ metæ modum, imo per nubes protensæ, Palatia superba, Turres celsissimæ, quarum altiora in arctius coëunt, Vexilla malorum apices condecorantia, aliaque strepitum & clangorem per aëris repercussionem & resistantiam ederent vehementissimum; Neque minus gravia, uti sunt: Arborum folia, paleæ, pennæ, plumæ, comæ, aliaque ad Terram celerrime motam pertingerent, sed hinc inde in aëre suspensa, volitarent, Gravia vero non per brevissimam, id est, rectam, sed per curvam potius ad centrum terræ, tenderent, lineam.

TH. X.

Tandem, si terra diurno ab occasu in ortum agitur motu, tum omnia, quæ hæcenus in superficie ejus moveri simul dicta sunt, etiam nubes, aves, sagittæ arcubus vibratæ, aliaque quantumvis in orientem moveant, in occidentem tamen ferri nobis videbuntur. Cum enim revolutio Terræ, ut dictum supra est, quolibet illorum motuum, longe velocior sit, oculus noster una cum Terra semper velocius in orientem tendet, quam vel nubes, vel aves, ve sagittæ; atque ita nos illa, à tergo occasum versus relinquentes, in occasum semper moveri putabimus, quo fieret, ut nullius prorsus corporis motus versus orientem observari possit, quod & oculari & perpetuæ experientiæ evidentissimè repugnat. Sed quo dilabimur! Tanta argumentorum, quibus vel Telluris motæ, vel quiescentis sententia stabilitur, copia est, ut solus Ricciolus eorum 49. adducat, & destruat, horum vero 77 recenseat, quæ tamen singula ferè & omnia inefficacia esse, cum Excellentissimo illo Antverpiensi Mathematico, Andrea Tacquet ambabus, ut dicitur, concedimus manibus, qui hanc controversiam, Mathematicorum (uti Medicorum Febris quartana est) crucem, in omnibus prope angulis Mundi de Terra vel immota, vel mota, motam accuratius pensitavit; atque omnia vel Physica vel Astronomica argumenta meram probabilitatem in se continere (vel uti B. Calovius Tom. III. Argumenta
Ptolemaici
& Coper-
nici proba-
bilia sunt.



Argumen-
ta Ptolemæi
& Coper-
nici proba-
bilia sunt.

Art. V. Quæ 7. loquitur, quod vel solo statu disjici possint) atque plane evanescere, palam professus est, de quo ipse videatur lib. Astronon. VII. Num. VII. & VIII. p. 329. Anonymus quidam ultra viginti argumenta ex Copernicorum supellectili prorsus insolubilia protulisse dicitur, quod scriptum forsan in Catalogo Pancirollæ de scientiis deperditis reperies, cum nec jam, nec olim viderit lucem. Sed ut compendium verborum faciamus. Nos in gratiam, Ptolomæorum & eorum favorem, maximâ, ut quidem fieri poterit brevitate ex sacra scriptura utpote fonte purissimo & fallere nescio ad stabiliendam Terræ immobilitatem, potiora apponemus.

TH. XI.

Sequuntur
Argumenta
ex Scriptu-
ra S. de sum-
pta quæ æ-
ternæ sunt
veritatis.
1. à Terræ
situ

Cœlum sursum & Terram deorsum esse divinæ literæ passim docent, Duet. IV. 39. *Agnoscas igitur hodie, & revoces in animum tuum Jehovaham Deum ipsum esse in Cœlis superne, & in Terra inferne*, cui respondet illud Jos. II. 11. *Nam Jehovah Deus vester est Deus in cœlis supra & in Terra infra*, Proverb. XXV. 3. *ut cœlo quo ad altitudinem, & terra quo ad profunditatem; ita animo Regum non est per vestigatio*, Jerem. XXXI. 37. sic ait Jehova: *Si poterunt mensurari Cœli superne aut per vestigari fundamenta Terra inferne*. Act. II. 19. *ut eadem prodigia in cœlo sursum, & signa in Terrâ de orsum*. Hæc & similia è diametro Copernicæ Hypothesi contrariantur, dum terram non supra Cœlum, sed hoc supra illam collocatum videmus. *Solis Motus* contra Copernicos probatur Gen. XV. 12. Cum sol occumberet, & altus sopor Abrahamum occuparet, cap. XIX. 23. sole prodeunte super terram, cap. XXXII. 31. Exoriebatur autem sol. II. Paralip. XIII. 34. quamobrem mortuus est (Rex. Israelis) quo tempore occidit sol. Psalm. XIX. 6. Ex quo soli disposuit tentorium in eis, Nam est, tanquam sponsus prodiens, è thalamo suo, lætaturque tanquam robustus decursurus viam ab extremitate Cœlorum; exortus ejus, & revolutio ad extremitates eorum est, nec est, quod abscondatur à calore ejus. Sed quid in ulteriori narratione Scripturæ S. dictorum sumus prolixi, cum nullum testimonium pro stabilienda nostra assertione possit proferri majus, quam illud, quod petitur ex verbis *Ecclesiastæ*, c. 1. 5. *Generatio una abit, & altera advenit, Terra autem in æternum sttat, oritur Sol, & occidit Sol, iterumque ad locum suum adspirat, ubi oriatur, prope-*

2. A Solis
motu.

rae

rat ad meridiem & circumit ad Aquilonem. Divinae omnipotentiae est solis cursus inhibere posse, & Terram quae immota stat commovere, quare *Job. X. 12.* dicitur: Qui commovet Terram è loco adeo, ut columnae ejus contremiscant, quo interdiciente, Sol non oritur. Habemus hujus interdictionis luculentum testimonium *Jos. X. 12.* ubi Josua hostibus suis victor insistens solem ita allocutus est: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon. Verum hoc miraculum supra citatus Anonymus duplici commento eludere conatur, sed non sine risu; nullum enim plane dubium est, sermonem hic esse de sole stante supra Horizontem, quippe cujus mora diem, & infra eundem noctem facit. Audiat etiam Josuam ad ulteriorem miraculi exaggerationem & celebrationem ob hoc Jehovae majorem, sequentia annectentem: Non fuit antea nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominis. Et *2. Reg. XX. 11.* dicitur, quod umbra fuit reducta per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz; Gnomon hic fuit constans & sciothericum (ut Eliahou chomer testatur) perfectum atque Semi circulo, in cujus concavo globus erat, ita inscriptum, ut umbra caesuris in eo factis responderet, quae caesurae gradus vocantur. Neque hic sola umbra retroacta est, sed ipsum quoque corpus solare regressum fuisse oportuit, quod ex sciatericis & Astronomicis patet, ita etiam à Spiritu Sancto utrumque dicitur, quod umbra retroacta & Sol regressus sit, uti diserte habetur, *Esaia XXXVIII. 8.* & regressus est sol decem Lineis per gradus quos descenderat conf. *Eccles. XLVIII. 26.* in diebus ipsius retro rediit Sol, & addidit Regi vitam Deus. Terrae quietem & immobilitatem explicant loca sequ. *1. Paralip. XVI. 30.* etiam stabilietur Orbis habitabilis ne dimoveatur *Job. XXVI. 7.* Qui extendit Aquilonem super inane & suspendit Terram super nihilum, *Psalms. XXIV. 2.* Nam ipse super maria fundavit illam, NB. *Psalms. CIV. 5.* Fundasti Terram super basin suam, & non movebitur in seculum seculi, in quem locum *Dn. Salomonis Gesneri* glossa haec est. Quartum opus tertio die fuit confectum, quando Deus orbem Terrarum ex undis eduxit, & licet undique aquarum fluctibus alluatur, ita tamen stabilem reddidit, ut nullo unquam Tempore usque ad novissimum diem loco suo dimoveri queat &c. Concludimus ergo non immerito ex his adductis, Ergo Terra non movetur, neque

3.
à Terrae
quiete,

Ergo Terra
ra non

(1) di-

B 3

Movetur
Terra. ¶
1.
2.

(1) diurno, neque (2) annuo, neque (3) Declinationis seu inclinationis convertibilis axis Terrestris, neque (4) tremulo seu vibrationis motu, quo Copernicus obliquitatis Eclipticæ anomaliam salvare conatur, *conf. Tacquet lib. Astron. VIII. cap. 1. p. 322.* Movetur interim Terra (1) Dei omnipotentia P. XVIII. 8. Et concutitur ac movetur Terra, fundamentaque montium commoventur, qui motus vel quæ prodigia terrori sunt impiis, piis vero solatio (2) Naturâ, quem Terræ motum Philosophi σεισμον nominant, qui est partialis Terræ concussio; Nam universales Terræ motus naturales non sunt. Existit autem ille motus vel concussio, quoties magna spirituum seu exhalationum copia, inter Terræ meatus conclusa, exitum quærit, qui cum obstante partium Terræ soliditate aliisque de causis egredi nequit, vi tandem prorumpit, & sæpè numero ingentes aquarum fluctus, globos igneos, arenam, & hujus farinae alia secum ejaculatur; vel motu violento, quando sursum projecta per naturalem descensum propter gravitatem propriam ad centrum suum omnino tendit, *vid. Aristot. II. Meteor. c. 7. Seneca lib. II. Quest. natural. B. Dn. Straussius Professor in Alma hac Ludov. quondam celeberrimus Isagog. Phys. p. 122, Sennert. Epit. Natural. Scient. lib. IV. c. 4. p. 342.*

TH. XII.

Sensus Scri-
pturæ quis
in rebus A-
stronomi-
cis

His itaque ex variis circumstantiis pro confirmanda immobilitate Terræ adductis, non inconvenienter videtur ultimo loco quæ-
rere: An hæ & aliæ Scripturæ S. assertiones, de Solis & Terræ vel
motu, vel quiete interpretandæ sint secundum sensum literalem, an
vero figurate & ad sensum vulgi? *Wittichius* & *Folcarinus* statuunt
scripturam plane non posse hic produci, cum præter ejus scopum
sit, uti ex *II. ad Tim. III. v. 16.* patescat, id quod *Cartesius* cum
multis *Reformatis* quoque statuit: scripturam scilicet in rebus Physicis
ad erroneam loqui Vulgi opinionem, non vero κατ' ἀκριβειαν Ma-
thematicam, quod præjudicium sane in sacri Codicis veritatem ejus-
que Divinitatem exiguum non est. Respondemus ergo paucis: in
his & aliis omnibus S. Scripturæ propositionibus & locutionibus,
sensus literalem, proprium planum & obvium strictè in tantum
sequendum esse, in quantum analogiæ fidei non repugnat. Sed
quid ad hæc Copernici & quis genius eorum est? A pulchritudine
hypo-

hypotheseos suæ ad unum omnes ita fascinati sunt, ut Sacræ Scripturæ verbalicet luce meridianâ clariora, ad alienum prorsus sensum detorquere eos non pudeat. Ex. grat. Quando *Jos. X. 23.* dicitur: Solem Exempl. Jos. X. 13. pessimè explicatum, stetisse in medio Cœli, cum Rabbiniis respondent: Esse Phrasin Poëticam atque explicare eam conantur: Solem expectasse donec occisio hostium perfecta fuisset; vel adeo concutiunt statuentes: Aut Solis speciem post ejus occasum, in nube supra horizontem extantem ostensam fuisse, aut Deum novi generis corpus Solem repræsentans in Cœlo condidisse, quod post veri Solis occasum apparuerit. Verum enimvero vanas has opiniones recitasse, est refutasse. Licet itaque *primarius* Scripturæ finis non sit, ut prima nobis Disciplinarum principia tradat & exponat, sed ut doceat, quomodo supernaturalia imò Scripturæ Finis, Deum ipsum salutariter cognoscamus & vitam æternam consequamur; *intermedius* tamen vel *secundarius* finis est informatio *Konig. Theol. Posit p. 13. §. 106.* ut rerum naturalium veritatem, ubi eas attingit mentibus intimet nostris. Quod cum facit à sensu ejus literali nunquam recedendum est, nisi propter manifestam & supra dictam necessitatem, quod imprimis observandum erit, quando miracula divina historicè nobis recenset, alias enim omnia illa miracula facili admodum negotio elidi possent, si per causam effectum, per subjectum adjunctum, per lucem umbram, vel prout libuerit, intelligere velimus, ita album in nigrum, Cœlum in Terram mutaremus, imò verbis Scripturæ tanquam taxillis luderemus. Hæcque sufficient de immobilitate Terræ pro tenuitate ingenii protulisse. Quod si non ea, qua par fuisset elegantia & gravitate dicta; ignoscet B. L. imbecillitati nostræ, & ut vires propositum ex voto absolvendi defuerint, tamen voluntatem non culpandam esse judicabit.

Tandem Deum intimis suspiriis veneramur, velit nos Spiritus S. sui gratiâ regere, ut opera manuum ipsius ita consideremus, quo magis magisque Omnipotentia & Bonitas Divina nobis manifestetur, neque superstitiosis interpretationibus indulgeamus; sed & Scripturam S. scrutemur, & sanctissimam Dei voluntatem in ea nobis patefactam in dies assequamur, & quantum in nobis est, exequamur, donec tandem in beatissimo omnium Angelorum & Sanctorum consortio de facie ad faciem ipsum videamus, laudemus & glorificemus, cui sit Laus, honos, & Gloria in sempiterna secula, Amen!

COROL-

COROLLARIORUM ΔΕΚΑΣ.

1.

Non bene sentiunt, qui ex incerta admodum à Constantino facta donatione, potestatem Ecclesie ejusque capitis super omnia summam derivare conantur.

2.

Quod primogenitus Regis Angliæ Filius *VV*allie Principis hodieque nomen à *VV*allie Principatu ferat sequens Francisci Gouldmanni testatur locus: *This lountrey VVales belongs to the Edelst sons of the Kings of England, and they are intituled: thereof, Princes of VVales.*

3.

Hamburgum celeberrimum facile Germaniæ Emporium, aliis ab Hammone unde Ham monisburgum, aliis ab Hama insigni pugile placet derivare, sed prior assertio videtur veritati esse conformior.

4.

Recte statuunt, qui summam potestatem in summum Imperantem mediate transferri putant.

5. In-

5.

Inferioribus superiores, non vero his illos irasci debere, Canon Ethicorum est.

6.

Caelum est corruptibile.

7.

Unus idemque eventus potest esse necessarius & contingens.

8.

Falsi à vero distinctio vera, sed veri non falsa est.

9.

Falsam eruere ex falsis regulam falsi falsum est.

10.

Fratres gemellos una diei hora simul natos & eadem hora post temporis aliquod intervallum denatos, inequali dierum numero vitam degisse, sciscitanti in conflictu facile demonstrabimus.

C

Non

Non est, crede mihi, non est quid mo-
bile TERRA,
Pro centro mundi est pondere
fixa suo.

Ast procul hinc circum coelorum vertitur
ordo,
Desinet hic volui, Si illa quiete caret.

*Optimè merito & Cl. Domino Candid. Fauto-
ri suo plur. colendo,*

*Pro sententia isthac orthodoxa philosophicè
pugnanti adgratulab.*

Phil. Lud. Hannekenius. D.



Quem DEVS instruxit donis & munera cessit,
Ingenii dotes, rexit ille sui.

*Hic datus est Dathen, nostrique corona Lycei
Giesseni, juvenum flos, decus atque sua.*

*Praclara patriæ dos, gloria celi
Clarè doctorum cernitur in Cathedra.*

*Clarius hoc celi splendescat nobile sidus,
Notitiæ eximia munia rite ferens.*

*Ita Præcellenti & Eruditissimo Domino Candidato,
Amico suo & Collegæ hæctenus singulari de e-
gregiis Philosophiæ & Theologiæ progressi-
bus, futurisque inde secuturis honoribus sincerè
gratulatur.*


Kilianus Rudrauffius D. & Prof.
Qui

Qui magno merito jam decernuntur
honores
Sint omni pleni prosperitate
precor.

Nob. Dn. HIERONYMO DATHE

*Candidato Phil. benemeritissimo ex
animo applaudit.*

BERNH. LUD. MOLLENBEC. D.



Ergone jam demum stabilis Tibi DATHE videtur
Tellus, ceu dudum credula turba putat!
Quid si, vel puncto nixus modo, cuncta moveres
Arte Syracusius nobilis ille senex?
Nonne stabit caelum potius, terramq; revolvi
Dicere cum Doctis, gloria major erit?
Sed fallor: nec enim Tua sunt tanta erronea vani
Vulgi, quam summi dogmata vera Dei.
Hinc ea nunc mecum laudat Giessenus Apollo,
Et sanctè spondet: DATHE MAGISTER eris!

Pf. 93. v. 2.
Pf. 104. v.
5. Chron.
16. v. 30.

Ita de erudito hocce specimine optimè non so-
lum sentit, sed & Clarissimo Domino Au-
tori Respondenti, Fautori suo honoratissi-
mo prospera quæque precatur

M. Philippus Casimirus Schlosserus
Log. & Methaph. Prof. Ordin.



O Mne movent saxum, tellus moveatur ut ipsa
Nescio, quo moti turbine ναυόσοφοι.
Ast immota manet **TELLVS**, moveatur & ist hac
E medio rerum motio fixa soli.
SOL Oculus mundi, nonne iste movebitur? aut hic
Cecus erit mundus, vel caret hoc oculo!
SOL centrum, **TELLVS** punctum, dicas: Sed & Euge
Cur punctum centro currere vis potius?
Num, citius quod & hâcce mole minor illa feratur?
Cur cælum est primum Mobile, summa moles?
TERRA stetit, stabit, refugâq; rotabitur axe
SOL solus, Magni maxima stella poli.
Aut **TERRAM** stellam vis? octavumq; **PLANETAM**,
Aut **SOLEM** quintum sic Elementum adigis?
Erras, erronam sequeris magis ipse **PLANETAM**,
Ducis & errorem sub varium varias,
Verte gradum, **TERRAM** amplius haut comitare Planetam,
In planores est tu modo linque planum!
Et **DATHVM** sequitor, **SOLEM** qui tramite vero
E vero verba currere rite docet.
Hec Phæbi pugnam quod suscipis? Optime **DATHE**,
Mox Phæbi dabitur pulchra corona **TIBI**.
Maeste hâc immotâ! **TERRAE** dum immobile pondus
Immotum est, capiti fixa, beata, fiet.

Quæ Pietati Virtuti, & Eruditioni Præ Nob. Dn.
Candidati, uti debebat, Imque inscribebat.

M. Joh. Bartholomæus Rüdiger.
ILL. Pæd. Gieß. Pr. Cl.

Nobi-

Nobilissimo & Clare docto

DNO

HIERONYMO DATHE,

Philos. Candid. dignissimo

S. P. D.

M. ERNESTUS GERARDUS SIRICIUS.

DUum generum in Academiis reperiri solent homines, quorum contraria studia æquis rerum æstimatoribus probari non possunt. Alii à ferula adhuc rubentes, ubi vix à limine salutarunt Academias, nullis, vel leviter solum literis tincti, velut cæstro perciti mox involant cathedram. Alii contra Pythagoræis longè superstitioniosiores non dicam quinquennio d. toto vitæ academicæ tempore *ἀνεπισκοπῶς* esse cupiunt. Illi, uti non possunt non inscitiam suam doctioribus prode; ita meritò hos pygmæorū & gruum ridet congressus damnatq; Magnus Kilonensium Polyhistor. *Morhofius*. Hi, dum latitare potius, quàm vires suas nonnunquam periclitari malunt, ea negligunt, quæ senes discere postea pudet, quo fit, ut vel cum pygmæis istis congregari vix audeant. Melius rebus suis utrique consulturi, si animo egregiis disciplinis obfirmato in publicum demum prodeant, cum adversariis congregari discant, publicumque eruditionis suæ testimonium reportent. Quod institutum cum & Tibi, Doctiss. *Dathe*, hæc tenus sequi visum fuerit, valde gaudeo lætorque. Hætrusco mihi imitari videris, qui Sylvio post Pio Papa teste, quod flumina adeo tenuia, ut frumentariam molam nequeant rapere, ingentes ducunt foveas, quibus fluviorum cursum morantur, biduanasq; aut triduanas colligunt aquas, quæ postea impetuosius exeuntes & molam trahunt & omnem frumenti quantitatem facilè terunt. Hæc tenus enim, quasi nihil haberes, quod proferres, siluisti, materiã tacitè colligens; jam uno impetu Tua perficis. Doctoris in Philosophia titulum petis, disputas, aliaq; eruditionis specimina paras. Multum certè hac de re Tibi gratulor, votisque expeto, ut studia Tua omnium voluntate iudicioque comprobata, exoptatum nanciscantur eventum. Vale & bene rem gere,

A 3

Son

Sonnet

Als leichte Sonnen-Rad soll ganz stockstille
stehen /

Der plumpe Erdenklump hingegen unges
mein

Rund umb der Sonnen-Kreis ein neuer
Jrr-Stern seyn!

S Eigner überwis! soll sich die Erde drehen /

So mag Copernicus zu Josua hingehen /

Und fragen/was Er doch sag: Sonne stehe still!

Da dießes wunder Er ohn' wunder zeigen will.

Wol wunder! daß man Sich da lange will aufblehen /

Wo Gottes helles Wort den klaren Ausspruch gibt:

Die Sonn hab ihren Lauf / die Erd sey fest ge
gründet.

Wie Euch Hochwerther Freund zu dießem mahl
belieb't

Das gründlich darzu thun / wie Ihr es bestens findet :

Glück zum Magister-Kranz / gleich unbewegter
Erden

Soll Er bald unbewegt Euch aufgesetzt werden.


Hiermit hat dem Herrn Candidato als seinem
Hochgeschätzten Freunde Glückwün
schend aufwarten wollen.

G. P.

LE N D E

X 26 11 237

1017



B.I.G.

Farbkarte #13

92 Sternw. 2

Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS.

DE

IMMOBILITATE

TERRÆ.

Quam

Affulgente Divina Gratia & Consensu

Nobiliss. & Amplissimi Ordinis Philosophorum,

Sub moderamine

VIRI

Nobiliss. Ampliss. & Exeellentissimi

DN. M. BALTHASARIS

MENTZERI,

Prof. Mathem. Publ. longè celeberrimi, Ampliss.

Facultatis Phil. Decani, h. t. Spectatissimi.

Dn. Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui omni observantia

& honoris cultu prosequendi

Pro

Gradu MAGISTERIALI ritè consequendo

Publicæ & Placidæ Eruditorum disquisitioni

submittit

HIERONYMUS DATHE, Hamb.

A. & R.

VIII. Kal. Junii clō Isc XXCIX.

GIESSÆ HASSORUM,

Literis HENNINGI MÜLLERI.

2

